

etis, Venetorum legati venerunt, Marcus Lauretanus, Justinianus Justiniani cognominis, & Andreamius Maurocenus: quibus in forum adductis, vocato ad concionem populo, Lauretanus publico nomine Patavinis gratulatus est, quod crudelissima tyrannide liberati pristinam civitatis administrationem, quam Mastini injuria amiserant, receperissent. Decreto inde Patrum Marsilio civitatis regimen se tradere pronunciavit: cuius innocentia, quo major esset atque omnibus notior, eo Venetos Patavinis melius consultum credere: accedere ad id summam viri prudentiam, quæ ocium & quietem maximam esset civibus omnibus allatura: scire Venetos, atque id saepius expertos, beatissimam tum esse Rem publicam, quum a prudente viro, atque eodem innocentem administrari cœpisset. Irent igitur, & quod ipsis Venetoque nomini bene verteret, Marsilium popularem suum audirent, illius dicto obediens quisque esset, ferrent æquo animo æquitatem, qui tyrannidem tam gravem esse non ignorarent. Inde ad illum conversus, *Te quoque*, inquit, *Marsili*, *etsi tuam probitatem satis exploratam habemus omnes, meminisse oportebit, te nos tuæ civitati præfecisse, non ut illi tantum præcesses, sed prodeesses etiam.* Quod si tibi minus constat, qua via ingressus ad illam præclare administrandam accedas, qua ratione, quibusve moribus sine invidia inter tuos eminere possis, nostræ urbis magistratus, ne aliunde exempla petas, id tibi facile monstrabunt. Quippe qui ipso nomine ideo eminent, quia ob publicam majestatem debent: sublato nomine, cum infimo quoque ex æquo vivunt: norunt, æquitatem maximum esse civitatis vinculum. Reliquum est, ut tuo exemplo civitas assuecat ad Venetam amicitiam publice privateque colendam. Quod quam pie sancteque oporteat vos facere, vestrorum temporum novitates admonere possunt, quibus jam paucis annis bis vobis jugum servitutis ademimus. Non minus stultus est, quam ingratus ille, qui beneficio non movetur. Ut verissima, ita omnibus maxime grata fuit Lauretani oratio, vel imprimis Marfilio, qui actis Veneto nomini gratiis, *Se studio curaturum, dixit, ut suæ administrationis ne unum quidem pœniteret civem;* atque ita prorsus, ut nulla nova regiminis forma

1337
Patavini
Scalanis e-
jellis, liber-
tatem reci-
piunt.

Marsilio
Carrario
civitatis
regimen
traditur.